

Lbd



1. Wolff P. Christ. Gottfr. Frid. diff. de  
Chim et Rempham Lipsie 1741.
2. — diff. de Divortio Judaeorum  
Lipsie 1739.
3. Wolff P. Christoph. diff. de eo quod publi-  
me est in his Nupier. verbis Genertou  
phoxp. Lipsie 1735.
4. Wucherer P. Joh. Frid. diff. prolegomena theo-  
logia dogmatica iend 1739.
5. Zeibich P. Carl. Henr. diff. de Christo vero deo  
Wittemb. 1741.
6. — diff. qua voces Zalmoth et Scia Ma,  
exam<sup>nata</sup> nantur, Wittemb. 1739.
7. Zeibich P. Christoph. Henr. diff. de  
Christi non pauli justificatorum.  
Wittemb. 1738.
8. — diff. de divinito predicto et volitus  
dato miraculo obscurati solis, in emortua  
Aem unigeniti diem, ut in signi demonstra-  
tionij argumento Jesum crucifixum  
fuisse veram Messiam, Wittemb. 1741.

r. 28.  
Q. D. B. V.

---

---

HVMILITAS GLORIOSA  
IESV CHRISTI  
IVDAEIS FERALIS

AD

*ESAIAE CAP. III. v. 8.*

DISSERTATIONE CRITICO-EXEGETICA

PRAESIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER

D. P. P. ET P.

PATRONO ATQVE STVDIORVM SVORVM AMPLIFICATORE  
AETERNVM DEVENERANDO

EXAMINI COMMILITONVM PLACIDO

PROPOSITA

A

M. IOANNE CHRISTIANO POLCKE  
VRATISLAVIENSI.

---

---

VII. KALEND. APRIL. A. R. S. M. DCC. XX.

---

---

ALTORPHII

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

75

G. D. B. N.

INSTITUTUM GLORIOSUM  
S. CHRISTI  
JACOBI PARALL

DE REBUS  
EUSEBIO CRISTOCORONICA

GASTANO GIORGIO NEMER

DE REBUS  
PUBLICIS ATQUE PRIVATIS IN PARS  
ALIAQUE PARS  
EXAMINANDI PARS

M. JOHANNES CHRISTIANUS FOLCKE

WILHELMUS WOLFF

MILITARIUM



S. I.



Rduus labor est vaticinia prophetarum interpretari, quæ obscuritate sua cuncta laborant, & negotium, stili singularis indole, lectoribus haud mediocre fa- cessunt. Nec desunt etiam, qui stu- dio & de industria rem omnem ita di- spositam esse divinitus existiment. Cu- jus contilii cauliam cum plures investigare conati sint, dubi- tamos tamen, utrum ea suboluerit facundissimo *Joh. Chry- sostomo* a), id eo factum arbitrato, *ne Judæi statim ab ini- tio, quæ prædicta essent, maniste audientes* (ἵνα οἱ Ἰουδαῖοι μὴ σαφῶς ἀκούσαντες τῶν ἐν τῇ ἀρχῇ διαχειρήσωνται τὰς λέγοντας ταῦτα) *eos interficerent, qui hæc dicebant.* Sic enim etiam ab objurgatione dilucida abstinentum fuisset, quam non so- lum σαφῶς sed δεινῶς quoque identidem pronunciarunt. Re- ctius, si quid judicamus, ingeniosus *Limborghius*, *Deum in vo- luntate locutione usum esse*, censet, *ut a pervicaci populo, dum adhuc subsisteret lex, nihil ejus auctoritati detrabere- tur, populusque sibi indulgeret legem non observando.* b) Quibus ipsius tandem Propitiatoris arcana divini judicii sensû addere oportet, quæ passim sunt in evangelicis historiis an- notata. c) Nobis perinde est, quamcunque rationem appro- baveris, (cum & plures conjungi queant,) quibus satis est *scrutando* investigari sententiam *Vatum* mentemque ipsius Nu- minis divini posse, & postquam tempus ipsum præstationis ap- paruit, iis, quæ prædicta sunt, jam ex nebulis quoque lumen af- fundi,

A 2

fundi,

a) Homil. de Prophet. obscur. T. III. opp. in V. T. f. 803. b) Amic. Collat. cum erud. Judæo de Verit. Relig. Christian. ad Script. tertium f. 231. c) *Matth. XIII. 14. Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. Act. XXVIII. 26. coll. Ep. VI. 9. 10. & XXIX. 9. sqq.*

fundi, ut de sana interpretatione, dummodo præjudiciis non indulgeamus, haud sit desperandum.

§. II.

Interim tamen certum est piisque mentibus exploratum habetur, *justi plenam timoris rem esse*, sicubi de involucris hiscæ evolvendis agatur. *Si enim*, (verba recitamus Cl. Camp. Vitringæ, a) *in constituendo sensu orationis divine gravius impingas, non facile excuses culpam temeritatis, licet alia te excusent multa. Poteras enim abstinere manus, vel, quod non intelligis atque assequeris, doctioribus relinquere, aut melioribus reservare & lucidioribus Ecclesiæ temporibus. Certum profecto habeo*, ita pergit Vir Doctissimus, *tardius multo ad eam Scripturæ S. partem, quæ Oracula divina complectitur, plures accessuros esse, si erga eam, quæ par est ducerentur reverentia, ac de se modestius sentirent, aut si apud nos more receptum esset, quod apud Indos olim obtinuisse scribit Arrianns, ut, qui (Sophistarum) divina interpretando, aberravit, huic publica auctoritate imponeretur silentium.* Quæ celeberrimi Viri monita, dum utroque pollice probamus, non possumus tamen, quin etiam superstitionem aliorum reprehendamus, quibus Religio est a Judæorum etiam, Tiresia b) licet cœciorum, opinionibus, vel latum unguem recedere; ita ut inolitas, quas vocant, Masoretharum lectiones, quas ipsimet, humana a divinis discernentes, modeste ad marginem rejecere, perperam exosculentur: immo & nugas eorum, varietate literarum, diversa figura positarum, hinc inde depictas, quibus haud raro grandis impietas subest c), studiosissime propagent. Cujusmodi servili plane venera-

a) Pref. Comment. in Esaiam præmissio sub initium. b) Es. XLII. 19. sq. Matth. XV. 14. 2. Cor. III. 14. seqq. c) Conf. quæ ad Ps. LXXX. 14. ex Bechai Eisenmenger Jud. detect. P. I. p. 779. & alibi observavit.

neratione N. T. tabularum, si quæ occurrunt, Lectiones varias nequitiam tractari, sed ad æquæ κρίσιως leges diligentissime examinari passim videas.

§. III.

Atque hæc, quæ brevibus & generatim dicta sunt, ut memorabili valde & luculento demonstramus exemplo, ex pluribus, quæ hinc inde reperiuntur, speciminibus, vel unius *Esaiæ Cap. III. comm. 8.* verbis extremis, & infeliciter illic, ne quid gravius dicam, τῶ **כתיב** substituto קרי, ad examen *critico-exegeticum* breviter revocatis, volupe est ostendere. Quando enim l. c. inter causas ærumnarum ingentium præcipuas, h. e. ruinæ ecclesiæ & politiæ judaicæ flagitia, hoc potissimum numeratur, **כי לשונם ומעלליהם אל יהוה למרות עני כבודו** hallucinationis id visum nobis est notabile documentum, a nemine, quod sciamus, adhuc, Masoræ credula æstimatione prohibente, observatum. Quis enim nescit interpretes, quos vidimus, ad unum omnes, generalem *Oculorum gloriæ divini exacerbationem*, perniciem Judæis accessivisse omnimodam, affirmare, aut verba isthæc, ut nulla prorsus consideratione operosiori digna, prorsus transilire? quæ tamen ipsum *offendiculorum* Judaicorum, unde *σάνδαλον fatale* illis extitit, a) caput, nec obscure, sed dilucide indicant. Id quod ex nostra, quam sine mora subjiciemus, interpretatione, aut emendatione potius necessaria, qua contemtionem & *rebellionem adversus κένωσιν* seu *Statum* Sospitatoris nostri *Jesu Christi*, ut vocant, *Exinanitionis* innui condocebimus, perspicue admodum elucebit: dummodo receptam vulgo, cum lectione Masoretharum, & ad eam attemperatam punctorum subscriptionem, sed minime rebus ipsis congruentem, deseras, & Masoram, cui perexiguum sane pretium statuendum esse Cl. Pfaffius b) nuperrime ex professo demonstravit, aliquid

a) 1. Cor. I. 23 coll. b) Primit. Tubing & Diff. de Evang. sub Anast. Imp. non corrupt. Corollar. masculè vindicatis n. 2. sq. p. 69. sqq.

humani, imo plus quam humani quid h. l. passam esse, aut certe pati potuisse, largiaris. Cujusmodi errorem haud paullo minus grandem ab iisdem *sepimenti Legis* auctoribus praclaris a) commissum & ex Servatoris optimi verbis Matth XXIII. 37. ipsoque tristi eventu refellendum, jam ante nos ad alium in eodem Propheta nostro Locum b) notavit S. Venerandus J. A. *Danzius*, cujus vestigia heic legere non poenitebit.

§. IV.

Quae ubi solide, brevibus tamen, confirmare opus est, ante omnia incumbere nobis, & praevidemus, & ipsi quoque ultro agnoscimus, ut *Caput hoc*, ex quo verba nostra decerpta sunt, *tertium* totamque orationem, cujus ea partem constituunt non ignobilem, de N. T. Christique fati & eventu hinc Judaicae genti, suo sibi jugo exitium attrahenti, perquam lugubri, agere, condocefaciamus. Quemadmodum enim nihil est difficilius, ita contra cognitu maxime necessarium, sermonis *προφητικῶν* scopum recte explorare, & si quando plura sint, ad quae respexisse vatem, conjicere queas, genuinum *Obiectum* determinare. *Difficile est*, ait Cl. *Vitringa* c) & *caussa praecipua*, qua interpretes prophetarum in diversa trahat, quod *ἀντιστοιχία* reperire in *Historia temporum* reperire nequeunt, sed quod copia illustrium casuum atque eventuum non dissimilis generis, quam tot seculorum *dives historia* subministrat, interpretis aciem praestringat, cumque dubium relinquat & incertum animi, quem potissimum cognatorum & similium eventuum ex aliis ejusdem generis, qui aliquando in eadem incidunt tempora, *Spiritus in prophetia respexit*. Quae, quamvis ad fata Ecclesiae N. T. in *Apocalypsi* descripta variisque emblematis delineata attineant, ubi rerum copia gestarum multo maxima saepe, fateor, interpretes obruit, aut in transversum agit; non minus

a) *Da der Bock zum Gärtner gesetzt worden.* b) *Es. XLIX. 5.* c) *in Anacry. Apocalyp. Praef. rec. ed. 1719. praemissa \*\*\* 4.*



nus tamen in *Prophetias* quoque *V. T.* conveniunt, partim ob rerum inter Judæos etiam plurimarum vicissitudinem, partim etiam ob excidii utriusque, primi & secundi, qua plures circumstantias, affinitatem. Unde difficultas ea tantopere augetur, ut haud raro utramque sortem iteratosque eventus conjungi videas, aut literalis ac mystici seu sublimioris sensus *subordinatio* receptum fluctuantibus præbeat. a)

§. V.

Ad *Esaiæ* nostri capita priora, si, quæ univèrse hæctenus dicta sunt, applices, ingentem quoque Commentatorum diffensionem animadvertere licet. Ut enim omittamus præfamen, seu Cap. I. de quo similiter inter eos maxima lis est, quanquam id Nov. Testamenti statum spectare *Paulus* ipse non obscure innuat, b) quippe qui comma IX, ad probandam electorum, qui Deo cogniti sint ex Judæis, conversionem, & gentium ceterarum accessionem ad Ecclesiam præsignificatam aperte adhibet; de secundæ certe orationis a Cap. II. inchoandæ, & a primo divulsiæ, atque longius ad Cap. V. usque deductæ, sensu mirifice disceptatur. Quas diversorum diversa sentientium opiniones, quoniam *Cel. Vitringa* c) enumeravit sedulo, nos actum agere nolumus. Epicrisin tamen, quam *Vir præclarissimus* subjecit, deinceps paucis ad incudem vocare non pigrabimur. Nobis de reliquo, ut in compendium potiora mittamus, firma stat sententia, de rebus in N. T. initio & circa tempora *Christi* gestis hæc ex instituto Vatem disserere, ac proinde nostram quoque *περὶ κοινή* Cap. III, 8. eo respicere: quod argumentis jam communire assertum, officii nostri putamus esse, nec difficulter id demonstrari posse, plane confidimus.

§. VI.

a) Quod subterfugium cum *Grotio* potissimum arripderet, nuperrime etiam dußissimo *Korthumio* aliisque hæud difficulter. b) *Rom.* I X, 29.  
c) *Comment. in Esaiam* Cap. II. f. 61. 199.

S. VI.

Equidem auctoritatibus, quod fieri interdum solet, pugnare, praesertim in exegesi sacra non decet; attamen antiquissimam, suaque hinc, ut colligi potest, luce nunquam non radiantem, hanc fuisse hypothesein, tacere non possumus: cui ex priscis Ecclesiae Doctoribus *Hieronymus & Theodoretus* a) praestantissimi e Patribus Interpretes, ex aeo recentiori autem *Oecolampadius*, &, nisi me memoria fallit, *Coccejus*, ex nostris autem *Brentius* & ipse quoque *Lutherus*, b) interque Pontificios, emunctae naris Philologus *Forerius* Ulyssiponensis, pluresque aliis adstipulati sint. Praeferemus vero rationes ex ipsa Sermonis junctura desumptas, & initium Orationis hujus a Cap. II. ad V. usque continuatae cum exitu seu Epilogo connectendo; hinc multo solidius idem adstrui posse, ostendemus. Nempe *sub exordium Vaticinii* optime coherentis Cap. II, 2. seqq. ea quae proferuntur a Propheta **כְּאַחֲרֵית הַיָּמִים** *Extremis temporibus* implenda dicuntur, ipsaque proinde inscriptione, interpretationis quasi clavis, legentibus porrigitur. Ubi nemo est, qui ignoret, Judaeis quoque haud dissentibus c) *Messiae tempora* designari. Ad quae cum res etiam praedictae, in N. T. demum exhibendae, quorsum sane *Gentium conversio* pertinet *solemnis*, congruant, tanto minus de implemento totius vaticinii sub id tempus secuto dubitandum erit: nisi perperam vetera cum novis, sine indicio saltus hujusmodi commissi addito, (ut solent nonnulli) permista esse affirmare lubitum sit. Qua tamen occasione, quia & Judaei in ea de luce universalis promissione tricas nectunt, eventum inter Christianos vaticinio nondum respon-

a) *Ad Cap. II. 6. & III. 1.* b) *cujus pereximus in Esaiam Comment. insertus legitur T. III. Jen. Lat. f. 295 seqq. Add. Schmuckii Praelect. in h. peripicuae, quae Ao. 1708. lucem adspexerunt posthuma.*  
 c) *Vid. ad b. l. Kimchium, Abenefran & R. Salom. b. Melech prioris concordantes.*

respondere rati, *ὡς ἐν παροῶν* observamus, comm. 4., quo bellum *non tam de Eventu ipso*, sive spirituali sensu sive externo & civili intelligas, sermonem esse, quam *de Officio & debito* piorum ac *genuinorum Christianorum*, seu, quid ex charitatis lege invicem præstare debeant, neutiquam vero quid futurum, & quorsum etiam contra animi sui indolem, ad defendendos subditos suos ab aliis vexatos, Principes quasi adigendi sint. Id quod vel ex unius *verbi* usu, quando *Esaias* inquit, *והוכיח וכחתי* h. e. *convincet, ut contum-dant*, seu *docebit* contundenda esse &c. liquido colligi potest, & Christi perpetua *Legis de Charitate* erga omnes exercenda a), inculcatio condocerit; Ut ipsum sinistrum, quem Liberator optimus præsignificavit Matth. X, 34. sq. b), eventum sileamus.

§. VII.

Quemadmodum vero exordium Cap. II. sine dubio, ita quoque *finis* de Christo agit perquam dilucide; quippe quo comm. 22. ab *Homine aliquo*, singulari, *desistere* c) jubentur (*חדלו*) Judæi, in *cujus navibus anima sit*, & qui *maxime sit estimatus*, secus quam hostes opinati fuerint. Haude equidem nescimus non paucos d) hæc etiam verba de fiducia in hominum auxilio posita interpretari; quam Judæorum solitam impietatem ipse quoque *Esaias*, præter alios, Cap. XXX. & XXXI. graviter reprehendit. At si quis occasionem, ab arrogancia Judæorum sumtam, collatamque cum *Majestate* hujus *hominis*, quæ conjunctim cum humilitate, offendiculum sceleratis contentoribus præbente, spectanda est, animo expendat, non dubito, quin communi nostratium sententiæ non possit non adstipulari. Ut *φεῖσι* omittam, in homine

B illo

a) *Lex Christi*, b) *propria quasi ex pluribus Mosaicis reddita & veluti selectissima vitæ*, b) coll. Luc. XI, 49 51. c) *Conf. instar omnium 2. Chron. XXXV. 21.* d) *quos inter, post Calvinum, Pifcat. Gros-tium &c. numerandus Vitringa Comm. ad b. 4.*

illo (נשמה נאפר) *animam vitalem* esse ostendentem, quæ Christum, post persecutionem ad necem usque, *resuscitatum* a) spiritum vitæ iterum trahentem, atque hinc *exaltatum* ad gloriam sistit, tam luculenter, ut alius, quam ipse Propitiator noster intelligi non possit, ac mirari satis nequeam, doctissimum *Vitrinam* b): *Nullus hic character Christi apparet, immo contrarium ejus*: non veritum esse asseverare: c) utpotè, quem vivis coloribus heic depingi planum est, idque præcedente comm. XXI. commemorata *gloria* hujus *Domini*, post resurrectionem (בְּקוֹמוֹ) terram violenter aggressuri, magis confirmat. Sed neque huic testimonio soli confidimus, quanquam hucusque vaticinium de Christo toto Cap. II. porrigi inde appareat; superest enim adhuc validius ex *Initio Cap. IV.* depromendum, ex quo insuper *totum* quoque Cap. III. ejusdem esse argumenti, ad N. T. prospicientis, aperte elucet. Quandoquidem, post pœnas justè promeritas, Viris pariter ac fœminis, divina auctoritate denunciatus, ne cui dubium redderetur, quam ætate isthæc futura essent, כּוֹס הַהוּא *Eodem die* h. e. tempore illa effectui danda ait, quo צַמַח יְהוָה qui sane, nemine fere refragante, Messias est, d) in ornamentum splendoremque orbis universi electorumque Israelitarum refugium sit adventaturus. Tacemus reliqua, quibus *Ecclesia Christi* structa destructaque sub imagine vineæ paullo post delineatur: eo quod, vel ex hisce comparatis nec obscuris scopi *πρωφουτισ* vestigiis, ad tempora Messiaë, quæcunque interjacent, pertinere, abunde patet.

§. VIII.

a) coll. Gen. II, 7. male enim vulgo hæc formula de justitia Christi vindicæ accipitur. b) Comment ad I. c. f. 86. col. 2. c) Cui vel solus Varius noster datum in Comm. ad Es. Orat. II. c. II. f. 44. sqq. satis fecit, uti Calovius Grotio. d) Conf. Jer. XXIII. 5. XXXIII. 3. 5. Zach. III. 8. & VI, 12. &c.

S. VIII.

Non possumus tamen, quin ex Capite II. paucis adhuc, identidem repetitas, *de arrogantia Gentis Judaicae intolerabili*, querelas, itemque horum superbiorum *depressionem* in *statum perquam humilem & abjectum*, ejus vero contra, adversus quem depugnaturi sint, יהוה, *exaltationem ac Majestatem* infecuturam, urgeamus. Quando enim ad primum excidium Babylonicum non commode hæc applicari posse, vel ipsi dissentientes fatebuntur; ad Phariseorum contra *supercilium* & Christi ex adverso *humilitatem dignitatemque* supremam, ea quam optime convenire in aprico positum est. Ita porro Cap. III. miserrimus Judæorum status ab omni humano auxilio destitutus, & prorsus desperatus per *μεισιμὸν* & *ὑποῦπωσιον*, in scriptis propheticis frequentem, fata posteriora evenisse per Romanos Republicæ, & exilium in hunc usque diem continuatum, multo luculentius expriment, quam pristina mala cum his gravioribus vix comparanda. Quo illud cum primis referimus, quod *comm. 13. Judex ad causam divinam agendam constitutus interque gentes judicaturus & cum senioribus populi sui adventaturus* ita describitur, ut ex asse verba hæc cum verbis ipsius Christi a) *judicium* Judæis sui contemptoribus imminens prænunciantis, congruant. Ut concertationes pro Principatu, ingruente *παραδεισία*, ferale silentio prætereamus, quas subinde jam ante excidium alterum exortas esse passim *Josephus* narrat & Cap. III, 1. seqq. mirifice h. m. illustrat: in quibus ea circumstantia potissimum notabilis est, quod, qui primas fere in istis turbis tenuit *Simon Giora*, Gerasenus, τὸ γένος γεντίας eidem b) audit, id quod commati quarto insignem præ cæteris lucem affundit. De subsequente vero post Hierosolymam vastata

B 2

tam

a) *Matth. XXVI, 64. Coll. XII, 28. Marc. XV, 62. Luc. XXI, 27, &c.*  
 b) *Vid. L. V. de Bello Jud. cap. VII. f. 894. ed. Lips.*

tam ævo & *Pseudo-Messia* non unius conatu longum esset occasiones & fata multiplicia recensere a) quæ pariter ad vaticinia hæc illustranda facerent. Quamquam id necesse non sit tam presse urgere. Nam, ut recte *Sanctius* ait b) *id sæpe fieri etiam*, in Prophetiis, dicitur, quod ut fiat, natura ipsa, vel conditio rerum postulat; præsertim ubi loquendi modus aliquid olet proverbiale, qualis hic videtur. Qui postquam id locis, ex *El.* 36. 2. *Reg.* 18. *Deut.* 28. & aliunde citatis probavit, addit: *Ad hunc ergo modum existimo horum verborum esse sensum: Statum Reipublicæ adeo fore miserum & desperatum, ut quia nemo illi afferre posset salutem, omnes si sapiant, imperium detrectare debeant.* Tantum de regimine pessundato. De foeminis, quæ subjiuntur, quoniam, majorne earum, tempore Christi, quod tamen ex variis colligi signis potest, an *Esaiæ*? fuerit luxus & superbia, ignoratur, satius esset omnia in medio relinquere, nisi orationis toties series, eam quoque objurgationem ad *N. T.* atatem spectare, edoceret, & *comm.* 16. prædicta *πρωλεθεία*, cum defectu Virorum omnimodo, posterioribus quoque bellis, magis quam prioribus, conveniret.

§. IX.

Accedit ad hæc Argumentorum contrariæ sententiæ infirmitas maxima, in quibus vix unicum animadvertimus ab acutissimo *Vitringa* c) productum, quod examine dignum videatur. Vitia nimirum & crimina Judæorum objicit, haud quadrantia ad Christi atatem, nominatim *auguria*, *incantationes*, & *magiam*, cultum item *imaginum*, seu *idololatriam* ac similia, quæ *comm.* 6. 8. 9. & 20. diserte commemorentur, & nusquam legantur frequentata. Responderi ad hæc equidem posset, magiæ non unum genus Judæis revera receptum fuisse,

a) *Vid. κατ' ἐπιστομὴν* Io. a Lent. Tr. de *Pseudo-Messia* & de *Bar Cochba* Speciatim *Euseb.* *H. E. L.* IV. c. 6. &c. b) ad *Esaiam* Cap. III. fol. 45. a. med. c) *Comment.* in *Esaiam* Cap. III. fol. 62.

fuisse, eo quod ipsi Talmudistæ in synedrium non potuissent cooptari senatorem perhibent, nisi magicarum artium, ad detegendas certe aliorum percelebres præstigias, peritus fuerit: a) cum qua ipsorummet Judæorum confessione conjugendum est Kabbalæ practicæ studium sub id tempus, uti ex Act. c. XIX, 17. sq. patet, tritissimum & scriptis paullo post a *R. Akibba*, sine fronte traditum. Qualia de Idolorum etiam cultu inter Judæos annotavit *Coccejus*, ad *Herodem*, *terram Israelis Cesarum fanis replentem*, & *Gentiles*, passim *inter eos dispersos, habitantes* respici opinatus; in quibus tamen aliquid desiderare haud injuria possis. Sed neque hæc ambagibus opus est, quoniam, cum Judæis ipsis hæc flagitia imputantur, satius videtur descriptionem hanc ex schematica Prophetarum dictione illustrare, *falsamque*, quæ inter illos invaluerat, *Doctrinam*, his nominibus insignitam, intelligere. Neque enim solum, ut habetur 1. Sam. XV, 23. inobedientia erga Deum præfracta, ipso Deo judice, incantationibus æquiparatur & Idololatriæ; sed etiam alibi, & in ipso *Esaiâ* nostro b) Pharisaismus vivis coloribus depictus, emblemate, a cultu commentitiorum Deorum sumto, repræsentatur. Quamquam alias quoque satis constet, *laxiori* quadam *notione*, Sp. S. tamen passim in Scripturis divinis usitata, cultum quemvis religiosum, sed corruptum, *ειδωλατρειαν* appellari; a qua notione, & Judæis eodem sensu tribuendo tanto scelere, nec ipsi nostri *Libri Symbolici* longe absunt, c) sed aliquoties eam approbant.

§. X.

Quæ reliqua sunt dubia, quibus se premi fassus est *Vir doctissimus*, ea multo sunt quam prius leviora. Etenim quod *oratio ipsa, qua Vates exorditur depingere statum gentis a*

B 3

Deo

a) Conf. dissert. nostra de *Virg. Jud. per transeuntem docente* §. 12. p. 22. sq. b) Cap. LXXV. 4. seqq. c) Vid. *Catech. Maj. Prec. I p. 407. & Apolog. A. C. sub initium, additis ad b. t. Carptov. & Dürrii votis*,

Deo derelinquenda, iis concepta est verbis, ut nos moueat cogitare de tempore presenti aut instanti v. g. comm. 9. **נִטְשָׁה**, dereliquisti &c. terram, siue in eo es, ut derelinquas populum tuum, quod de longe remoti temporis ἀνοδοςία exponere violentum videatur; id perquam debile & pæne dixerim ficulneum est. Quid enim stylo prophetarum tritius, quid frequentius in vaticiniis omnis generis, & de N. T. nominatim ubi agitur, fere perpetuum, quam ut *Futura* verbis & forma *præteriti* temporis, ad certitudinem rerum designandam indubitata, efferantur: cui regulæ Grammaticorum vel solum de Messia agens Cap. Esaïæ LIII. quasi classicum, corroborandæ sufficit a), ut mirari subeat, Viro in hac literatura tam exercitato dubium hinc nasci potuisse, aut potius rem obuiam dissimulare placuisse. Non maioris denique roboris est, quem ex ordine rerum expositarum ab *Esaïa* movet, scrupulus: *Paradoxum sibi videri*, inquitens, *Prophetam longo adeo sermone tanto temporis spatii saltu commisso vaticinaturum de posteriore Judææ gentis ἀποβολῆ, & illius ultimi temporis vitia tam copiosa oratione prosequuturum esse, cum hæcenus de priore illa in Exilium Babylonicum transportatione, non meminisset.* Quis enim nescit ejus rei, quæ *Spiritus Prophetiæ* audit b) ipsi divino flammæ, principem & primam Prophetis curam fuisse? Quis porro audit optimo Numini, quo ordine unumquodque argumentum proponere par sit, præscribere? Longe est alia historiarum contendarum ordine temporum simul observato, quam propheticorum, ex orationibus compositis diverso tempore habitis, ratio; quanquam neque illic exempla desint, ubi quædam data occasione sint interposita. Nec est, quod *Esaïam* longius in N. T. illico prospexisse miretur *Vir Clarissimus*, cum præter

a) Conf. *Glass. Philol. S. L. I. Tr. 4. sect. 1. can. 4. & L. III. Tr. III. can. de Verb. XLVI. Add. Franzium de Interpr. Ser. Orac. 47. f. 450. sqq.* b) *Apoç. XIX. 10.*



præter scopum primarium, de quo jam dictum est, major quoque adversus summa beneficia impietas, priori Cap. I. (ut hoc demus) castigatæ subjungenda fuerit. Omittimus aliorum, inprimis vero *Hoseæ*, haud dissimilem methodum, quâ, postquam vix attigerat Israelitarum suorum scelera, mox Cap. I. & II. &c. ad Regnum Christi paganorumque ad eum congregationem digreditur a). Tantum ergo est, quod in his objectionibus desiderari queat. Quam etiam ob rem tandem ipse *Cl. Virringa* præter sensum literalem, quibusdam hujus vaticinii partibus *sublimiorem* & mysticum, atque sub typis *ἀντίτυπα*, involvi, non dissimulavit sibi videri, eumque in finem præter consonantiam rerum phrasas quasdam a Sp. S. in Apocalypsi b) ex hac prophetia mutuatas adduxit in medium.

§. XI.

Quæ cum ita comparata sint, jam ad ipsum institutum & Cap. III. comm. 8. dilucidationem propius accedere licet. Sic enim apparebit liquido, illud quoque vaticinium, ut *partem* orationis totius notabilem, quo *ruina Hierosolymæ*, *lapsusque Judææ* tristis & fatalis, *una cum causâ* subjuncta describitur, non aliter intelligi oportere, quam de *excidio posteriori* impiisque judæorum facinoribus, quibus *Domino* illi, de quo toties Cap. II. dictum erat, *viliorem* quidem *visum*, sed *revera altissimum* fuisse, adversati sint, atque hinc sigillatim adversus *עֵי כּוּר* rebellaverint. Quam rebellionem

singularem prorsus cum proclive sit ad ea impieatis genera, quibus ante captivitatem Babylonicam se coinquinaverant, commode applicari haud posse, profecto non aliud, quam Messia exhibendi comparentisque contemtionem, sub cujus viliori habitu externo summa Majestas latebat, accusari palam erit, eamque Repudii genuinam causam h. l. designari vix a quo-

a) coll. Rom. IX. 26. & 1. Petr. II. 10. b) Cap. VI. 16. & 19. coll. ad h. l. Melch. Kromayer, *Cbron. Eccl.* 1702. ed.

a quoquam in dubium vocari, ut arbitramur, poterit. Quo pacto etiam, si lectio vulgaris *Masoretharum*, in scopulo hoc, captis oculis hærentium, quæ עני כבודו refert, deferatur, eidemque genuina עני substituatur, integro Sermoni Prophetico lux ingens affulgebit. Quæ quidem sententia nostra, seu, si malis, *conjectura*, quia a vulgari & passim in codicibus recentioribus recepta punctorum subscriptione recedit, argumentis utique nonnullis firmioribus suffulcenda videtur, ne ingenio magis, quam veritati indulgere videamur.

§. XII.

Possemus hæc equidem compendij gratia rem ipsam & adventum *Jesu Christi* in carnem, vitamque Sospitatoris O. M. inter Judæos actam vel solam, urgere. Quam abjecte enim & contentim, carnem indutam justoque tempore in lucem productam post nativitatem gestans, exceptus sit a), quis nescit? Sic pariter, ut vilissimi hominis schemate in educatione usus adoleverit, exceptis paucissimis quibusdam, & quæ paucis quoque innotuerunt, speciminibus gloriæ majoris editis, ex genuinis LL. Canonicorum b) monumentis abunde cognitum est. De sequenti aliquot annorum inter Judæos conversatione, & a priori haud multum distincta *servili conditione* c) tanto minus laborandum esse putamus, quo luculentiora passim non despicientiæ solum, sed contumeliæ multiplicis, quam sustinuit, exempla, ab *Evangelistis* literis consignata prostant. Ad quæ, velut in cumulum, extrema illa malorum omnium, in morte cruenta violentaque, & variis cum ea conjunctis ærumnis aliis, accessit congeries: ubi profecto eximia quadam ratione מכה אלוהים ומענה percussus a Deo & *miserabilis* apparuit, summumque quasi ejus עני apicem attigit. Nec

enim

a) Luc II. 7. b) Nullus ergo L. de Infantia Christi, quem J. A. Fabricius exhibet in Cod. Apocryph. N. T. hæc locus est. c) Phil. II. 7 sq. coll. Matth. VIII. 20. Luc. VIII. 3. Job. XII. 6. 7.

enim male ex eventu vaticiniorum sensus & veritas, ut supra observatum est, demonstratur. Enimvero, ne a sola rerum congruentia argumentum nos ducere existimes, en *criticas* quoque, easque, ut arbitramur, haud spernendas observationes subjicere placet: quibus *suadentibus*, consentiente deinceps re ipsa, & eventu amplius *jubente*, solidior & prope-modum inconcussa demonstratio exstrui poterit.

§. XIII.

Inter *critica* autem, propter quæ *Lectio* cum punctis subscriptis & in codicibus nostris hodie obviis nobis haud probetur, hæc præcipua est, quod *nusquam* in tritissimo nomine פּוּ & פּוּי, in statu pariter absoluto, ac constructo, quamvis plus centies utraque forma in scripturis V. T. occurrat, medium illud *Jod*, quippe radicale, ejectum legatur, atque ipsi hinc *Masoretha* in *Masora*, quam vocant, *interiori* per solitas notas, פּוּי ה' nullibi formæ hujus simile exemplum reperiri, quasi cum admiratione quadam, majorum de reliquo suorum ductum sequuti, annotarunt. Unde profecto non levis suspicio *præcipitate* in punctis adjiciendis, a quibuscunque id factum sit, & *præjudicate sententia* nascitur. Alterum, quod serpulum nobis movit, dubium est, quia LXX. ut vulgo dicuntur, *Interpretes*, verba hæc *Esaie* ex codice, quales tunc omnes fuerant, vocalibus haud instructo, exscripto, nec præjudiciis tantopere occupati, sequentem in modum: *דִּבְרֵי נָוִן עֲרֵאנָהּ וְהָ דִּבְרֵי אֲדֻמִּים*, transtulere: ita quidem, ut, quamvis codices nonnulli a) ad sequens comma ea referant, omnes tamen, quos inspicere licuit, in eadem formula exhibenda conspirent. Et licet sensus paullo liberius obscuriusque sit expressus, ut vix appareat, quid illa sibi velit *Metaphrasis*, non tamen negari poterit, Masoretharum

C

rum

a) Ita certe Brylangeriana Ed. Basil. in. 8v. punctum interposuit: secus vero habet Plantiniana.

rum illud **עני** neglectum ac de eo forte ne cogitatum quidem fuisse, sed notionem **עני**, nomine in verbum converfo, (id enim *τὸ ἐραπεινώθη* postulat,) ob oculos illis versatum esse. Quo factum etiam est, ut non sine causa, inde a primis initiis Bibliorum typis impressorum inter *marginales notas*, ad comma 8. adjecta, & **עני** respondens admonitio, verbis consuetis **חסר** indicata, ubique, quod sciamus, occurrat, variamque lectionem olim, vel revera locum habuisse, vel habere certe posse, indicet. Illud sane hinc colligere licet, eum, qui *punctorum auctor* est, horum quoque monitorem extitisse, aut, si recentior sit, a) *ἀνομάδων* τι animadvertisse, *Lectoribusque* de scrupulo *commonefactis* *judicium* de reliquo super his punctis & literis conciliandis, vel immutandis, si rectius saperet, *permisisse*.

§. XIV.

Criticis hisce rationibus *Exegeticas* subjungimus, ex hermenevtarum præceptionibus petitas. Ubi primum locum jure meritoque occupat *insolita phrasis*, quam *parallelismus nec realis nec verbalis* confirmat. Quis enim *oculos gloria* unquam dictos observavit? Ne dicamus *oculos etiam cum gloria*, itemque cum *rebellione adversus eos*, vel si placeat, exacerbatione, non admodum bene b) coherere: dum vicissim nihil in Christum & Judæorum contra eum molimina conveniat magis, quam *humilis illa Majestas* & gloria sub humilitate latens, sceleratissima a Judæis rebellione, (ita quidem, ut primaria hæc fuerit offendiculi c) causa) excepta & flo-

a) *Incerta enim esse omnia vel Euxtorffii Tiberias addocet, qua nihil definire ausa est.* b) *Unde & Aben-Esra in comment. ad b. l. tandem per פרוסיא palam explicavit. Conf. Geierus ad Ps. CVII. 11. ubi rebelles fuere gloria Dei præsentis, obscuritati utcumque consulturus, verba hæc nostra reididit.* c) *Vid. instar. omnium Es. LIII. 2. & I. Cor. I. 23. coll. Cl. D. I. M. Langii nostri Σημειωματα Jud. ad b. l. accommodata.*

hæcci habita. Utut enim & hæc *humilitatis conjunctio* *ἐν τῇ σαρκὶ* significare videatur, singularis tamen Jesu Christi, *ἐν τῇ σαρκὶ* comparentis, conditio & oeconomia salutis nostræ id omnino exigit, eaque de causa, quod singulare & insolitum quid designaret, breviter prophetarum more (fusus enim alibi descripta est, ) comprehendi, non alio, quam hoc modo ac formula potuit. Accedit ad hæc *superiori capite* jam aliquoties memorata populi Judaici, non nisi alta spirantis, *Arrogantia*, quam divinitus justa talionis pœna castigandam esse Sp. S. docuerat : quæ *cum* Cap. III. *brevi* hac pœnarum *repetitione* vix *conciliari* commode poterit; nisi, humilitatem τῆς θεοπροφῆας spernendo eandemque repudiando, enormiter deliquisse, dicas indicari. Quam etiam ob rem hoc eodem Cap. III. partim in *Regimine* instaurando & ad vilissimos quosque devolvendo, partim in *famini* ob *superbiam* corripiendis & ad vilipendium ingens damnandis, (quæ pœna delicto prorsus respondet) tam sollicitè Propheta occupatur. Neque tandem negligenda est paullo post comm. 13. sq. sigillatim notata τῶν *עייני* *persecutio* a Capite *in membra* affectatoresque a) ab iisdem rebellibus *continuata* : unde quodnam in ipso Christo offendiculum extiterit Judæis fatale, nimirum non oculi majestatis sed *עייני* seu humilitas nimis abjecta tanti regis, qualem ipsi expectabant fore, iterum elucet.

§. XV.

Quid objici adversus hæc meditata queat, non occurrit; nisi forte ex cap. II. comm. XI. *עייני גבהות*, *oculos altitudinis*, quæ non ab similibus nostræ sit formula loquendi, commemorari existimes, atque hinc in nostro quoque locorum notionem retinendam esse colligas. Sed, licet omit-

C 2

tamus

2) Quam notant *Act. Apost. c. IV. sqq. XIX. item & XXI. sqq. nec non 1. Thess. II. 15. sqq. coll. Justin. M. Dial. cum Tryphone f. 234. 335. & 348. ed. Lips. add. Euseb. L. IV. H. E. c. 18.*

tamus integram formam *יָיָו*, cum *Jod* medio simul exscripto, illic non comparere, quæ sane cap. III. aliter comparata sunt; id profecto insolitum non est in sacris atque profanis literis, ut *oculorum altorum* hinc inde meminerint scriptores; eo quod præcipua in oculis vel sedes, vel significatio externa superbiæ quærenda putatur: qua de causa a) ipsa quoque animi elatio Latinis *supercilium* dici consuevit. Ad gloriam vero hæc non æque quadrare in propatulo est positum; perinde uti hypallagen, quam nonnulli ad l. c. cap. II. sed sine causa prægnante applicant. Præcipuus ergo haud dubie scrupulus is tandem restabit, quod a lectione punctorum recepta & solita temere nos recedere ausimus; quæ res maximi sit periculi & indaginis altioris. At enimvero, si quis, præjudiciis tantisper sepositis, animo secum expendat, Masorethicas hujusmodi notas dubiis quibusdam locis adjectas vel ad *codices* diversos respicere b) vel ad meram legentium *consuetudinem* variam, atque hinc puncta in ipso quidem textu apposita esse, sed ita, ut semper marginalium annotationum auctoribus eorumque menti sint accommodata, in proclivi erit colligere, libertatam dissentienti non omnem lectoribus ab ipsismet Masorethis esse præclusam, sed criticam, si quid occurrat rectius & dilucidius, *ἐπιμαρτυρῶ* potius commendatam. Quæ cum ita sint, non est profecto, cur in hujusmodi *διαμαρτυρῆς* adhibenda difficilem te præbeas, in ea sententia eligenda, quæ *hominum* Majestatem Christi cum gloria ejus conciliare nescientium opinionem posthabeat, & *Christi ipsius* tum fati mirifice sublimibus, tum etiam illustri testimonio c) quo ne *Jota* quidem e V. T. periturum pronuntiavit, firmiter

a) conf. Plin. H. N. L. XI. c. 37, ubi fastum in corde nasci, sed *supercilia* subire, hic pendere, ac sedem habere inquit. b) Et quidem *perpaucos*: ut recte observavit Cl. Vir C. M. Pfaffius Coroll. de Masor. vindic. Primit. Tubing. f. 74. In prisicis sane monumentis vix unus Cod. R. Meir in Beresch. Rabb. §. 20. memoratur. c) *Maith. V. 18.* quod nec proverbii usus aut sensus infirmat.

ter insitit. Cætera, quæ hac de quæstione disputantur philologica & critica generalia in alium locum rejicimus, suavissimoque etiam, sed gratis assumto *Hilleriano* a) invento, ad verba certe, quæ obscœna dicuntur, minime quadrante, seposito, celeberrimi *Danzii* accuratissimas observationes b) conferri jubemus. Si qui vero nihilominus dissentiant, &, quo itur (*Luthero* tamen non præeunte) ire malint, *Maforetharum* seu *R. Jacob b. Chajim* potius sputa lingant, per nos licet. Neque enim cuiquam hanc nostram meditationem obrudimus, sed quid nobis videatur, modeste & analogiæ fidei congruenter exponimus.

### §. XVI.

Supereft itaque, ut, de constructione verborum solliciti, *verbum למרות* cum sequenti עוני recte & ex usu linguæ Hebrææ coherere ostendamus. Vbi de forma *Conjugationis*, quæ *Hiphil* est, non putamus, quenquam litem moturum: tamen character ה, quod sæpe fit, exciderit; At de significatione operæ pretium est disquirere. Vulgo id per *Exacerbationem* reddunt Latini interpretes, & Græci τὸ ἀξαρμυγᾶν substituant, cognatam rad. מרר haud dubie secuti. c) Quam licet non repudiemus, & alicubi locum habere esse largiamur, vix tamen potestatem ejusdem exhaurire, plane persuasi sumus; idque vel unica formula, quali sæpenumero Spiritus S. usus est, המרו אמרי אל, d) probamus, quam, si quis, *exacerbantur verba Dei*, reddere vellet, risum auditoribus deberet. Rectius ergo haud dubie eam explicant, qui,

C 3 ad

a) in *Arcano Keri & Kethibh* Ao. 1692. *expos. De quo lege & Cl. Pfaffium* l. c. f. 75. b) *Sincerit. Script. prævalente Keri vacill.* §. 22. *sqq. Ao. 1713. publ.* c) *qua de notione ex professo disseruit Fullerus in Miscell. L. III. cap. X. ad Pl. CV. 28. comment. Add. Goussenius in Thes. L. 7. f. 480. sq.* d) *Psalms. CVII. 11. conf. Pl. CV. 28. Jos. L. 18. &c.*

ad exemplum doctissimi *Vittinga* a) *rebellionis* notionem substituant, & simul (quod addendum) animi *acerbitatem* seu amarulentiam, tanquam fontem, *connotari* arbitrantur, ut pregnantis verbi indolem referat. Quem significatum h. l. tanto magis & nos tuemur, quo minus exacerbatio ad oculos majestatis, minime omnium vero ad *erumnas* Messiae *gloriosus*, *humilitatemque* eius *maiestaticam*, contemptui habitam ab hostibus abiectamque, convenit. Quemadmodum vero sensui rebellionis res ipsa non refragatur, ita neque *σύνταξις* consueta, si cum nominibus verbum *מרה* conjunctum sit, adversatur. Vt enim haud raro *rebellio* isthæc adversum Deum diuinaque statuta & acta ita exprimat *Hebræorum* stylo & loquendi genio, ut præfixum *ב* inter persoam nominatam actionemque ei obnitentium interponatur, v. g. Exod. XXIII, 21. & alibi; b) multo tamen plura observantur loca, in quibus sola particula *את* interiacet, vel ea quoque omiſſa, cum nominibus subjectis simpliciter & nude *מרה* nostrum construatur: cuiusmodi exempla Num. XXVII, 14. XX, 24. Thren. I, 18. et cum primis in eadem Conjugatione Hiphil Pf. LXXVIII, 17. et CVII, 11. reperiuntur: ubi porro per *עוֹסֵף מְרֵהוּ* verbi additi *נאץ* averſationem rei, tanquam abominabilis, denotantis c) & simplice *מאם* multo significantioris, vis & emphasis *מרה עז* adhuc dilucidius explanatur. Vt adeo ex verbi hujus usu nihil, quod interpretationi nostræ obſtet, exculpi queat, sed exinde potius ea novo argumento corroboretur.

§. XVII.

Sic quoque præcipuum hujus rebellionis *objectum*, quod de *עוֹנֵי* intelligendum esse arbitramur, & *afflictionem* alioquin

*Meta.*

a) *Comment. in Es. ad. C. l. 20. eam expresso tuentis.* b) *conf. Ezech. XX. 8. 13. Hof. XIV. 1. Nebem. IX. 26. & de re non persona Pf. CVI. 43.* c) *Vid. B. Geier ad Pf. X. 3. add. ad b. l. Coccejo.*



*Meraphraſte* reddunt, haud infrequens eſt in Script. divinis. Viſurpatur enim non ſolum de *miſeria* populi Iſraelis totius, quam in *Aegypto* diutiſſime toleravit, ſed etiam de ſingularibus perſonis, in primis vero *Hiobo* legitur aliquoties, quippe, qui calamitatem ſuam priſtinæ magnificentiæ ſuccedentem deploraturus, deſpectiſſimamque conditionem, propter quam & amicis inſultantibus vilipendium debebat, vivide deſcripturus, ea nomenclatura non ſemel uſus eſt. a) Vt propterea in *Chriſtum* etiam, & ſtatum jam ante extremam paſſionem, atque in ipſam uſque crucem continuatum afflictionum aceryum, ubi ſummum denique miſeriæ faſtigium ceteris acceſſit, vocabulum hocce convenire nemo dubitare poſſit. Præſertim, ſi conjunctam ſimul cum ærumnis reliquis ejus *egeſtatem*, quam vox eadem alias quoque complectitur, & *manſuetudinem* incomparabilem, ſimul obſcuriuſcule ſubindicare exiſtmes. Qua de cauſſa, ut ſupra jam obiter obſervatum eſt, idem *Eſaias* noſter paſſionem *Chriſti* compendioſiſſime deſcripturus, cum **מענה** & **מדוכא** appellat: b) perinde uti in *Pſalmis* ipſe *Servator* ſtatum ſuum, propter quem ludibrio omnium expoſitus fuerit, **ענות עני** c) prorfus eadem notione, etſi alia nominis forma adhibita, nuncuparit. Quibus ex aſſe reſpondet *Paulli* gemina nomenclatura, qua, quod alibi **κένωσις** & **μορφὴν δέλα** vocaverat, **ἀθένειαν**, itemque **πίτωχείαν τῆς χειρῶν** d), quæ poſterior vox ad *Eſaiam* notionem proxime accedit, nominavit. Cujusmodi plura dari poſſent, ſi limites conſtituti anguſtiores id haud prohiberent: quantum & hæc ad noſtrum **עוני** dilucidandum ſufficere queant. De poſtremo nomiæ **כבוד** nihil eſt, quod addamus, cum *gloria* & *majeſtatis* notio paſſim obuia ſit, *Chriſti*que, quæ h. l. denotatur, præſtantia, ex ipſius perſonæ & officii terge-

mini

a) Vid. cap. XXX, 16. 27. Add. Pſ. CVII, 10. 41. Thren. I, 3. ſeqq. Genes. XXIIX, 32. b) Eſ. LIII, 4. c) Pſ. XXII, 25 d) 2. Cor. XIII, 4. & 2. Cor. VIII,

mini conditione nemini incognita esse possit; nisi forte & h. l. divitias Christi, de quibus l. c. Paullus egerat, in nos ex paupertate humilitatis ejusdem redundantes a) subinnui conjicias. Satis enim heic nobis est, eandem, quæ tantopere omnibus profuit, humilitatem Jesu Christi; *offendiculo*, seu מכשול ex כשול l. c., fuisse *Judæis* securis & superbis, b) demonstratum esse.

### §. XVIII.

Reliquum igitur est, ut paucis, qua de causa *humilitas* Christi & miseria, popularibus ipsius tam invisâ, *gloriosa* dicatur, paullo distinctius explanemus. Vbi, si volupe esset in polemicum forum exegeticum hunc laborem transducere, proclive foret de statu *dignitatis & gloria*, quem *Sociniano-rum* haud pauci c) ante Christi mortem locum habuisse, dum viveret, perhibent, quemque hinc constabilire eos posse putaveris, disserere copiosius. Quoniam vero id eam ob rationem h. l. factum esse lubentissime largimur, quia *radios* subinde *quosdam* gloriæ, per miracula edita, emisit, maximeque de reliquo ex parte sorte abjectissima & rerum pene omnium defectu ordinarie uti voluit, parum ex singulari ista obsignatione Christi, patri insuper cœlesti adscripta, lucrabuntur adversarii, tantoque minus in usus suos hæc nostra meditata convertere poterunt, quo clarius *Paullus* servi habitum non in cruce demum, sed per omnem vitam ad crucem usque, tanquam ultimum gradum, exporrexit, & ipsa quoque *Liberatoris* optimi vivendi ratio id exposcit. Nec minus domesticis, quæ ante hos centum annos agitari cœpere, contentionibus, d) aliquid hinc accedet commodi; quandoquidem majestas h. l. Propitiatori nostro equidem aperte tribuitur, sed

a) coll. *Gen. XIII, 2. XXXI, 1. & Matth. IV, 8.* b) coll. *Luc. II, 34. & Es. VIII, 14.* c) ut *Orell. & Schlichting. ad Phil. II. nemque Enjedinus Expl. LL. f. 325. seq.* d) *conf. recent. hæc reperentem Cl. Pfaffium in Infit. Theol. f. 388. & 464. seq.*

sed *latenter* eam *usurpassē*, ut hominem, *ἐν τῇ κενώσει*, seu *ταπεινώσει* potius existentem, neutiquam affirmatur. Quamquam rectius de his disceptationibus, haud magni certe momenti, fileri, quam eas refodicari, existimemus.

§. XIX.

Vera autem hujus paradoxæ Humilitatis, cum Majestate conjunctæ, ea nobis *caussa* videtur & *potissima*, quod Servator *ἐν σαρκώθει* (in qua ipsa carnis cum *λόγῳ* personali *unione* Glorix *fundamentum* positum est) dilectissimus, utut humillimam sortem propter nos ultro subierit, nihilominus summam & infinitam gloriam, quod per unionem personalem & œconomiam salutis nostræ aliter fieri haud potuit, communicatam sibi, quatenus homo est, nunquam non *habuit* & *possedit*; tamen *non omnino* & *plene* eadem *uti*, ne opus redemptionis nostræ sufflaminaretur, & ut exemplum simul humilitatis nobis præberet, voluerit. Nam, ut recte B. *Bajerus* a), inquit: *Aut Christus se evacuavit ipsa Majestate communicata, aut usu ejus: Prius autem asserti nequit; majestatis enim κτῆσις semper retinuit, quia nunquam tota Deitatis plenitudo in ipso σωματικῶς habitare desit Col. II. 9. & in ipsa passione Dominus gloria fuit: Posterius ergo dicendum est, quod Christus χεῖρει seu usu se evacuaverit.* Deinde idcirco quoque majesticatica hæc dicta est humilitas, quoniam inter hæc, dum miseram illam servi *μορφῆν* recepit, *operibus* tamen *miraculosis* per naturam humanam *patris*, inhabitantis in se divinitatis gloriam, ut ante dictum est, supremam, iterum iterumque demonstravit: quem etiam in finem, *ut gloriam nimirum suam patefaceret*, ea perpetrassē, aliquoties ab ipso Sp. S. comonitum est b). Omnium *denique* luculentissima hujus

D nomen-

a) *Dissert. de Statu Exinanit. Θεαρ. Πράξε §. XIV. p. 13.* b) *Vid. I. c. b. II. II. XI. 4. I. 14.*

nomenclaturæ sine dubio caussa fuit, quod humilitas illa pro scopo quidem proximo mortem & nostram cum Deo conciliationem præfixam, paullo vero *remotius* Christi cum primis ad dextram deinceps Majestatis evecti gloriam consequentem a), nostramque hinc secuturam omnium ex ea participationem, habuerat : cujusmodi *constructionis* ad finem respicientis exempla b) passim occurrunt. Quæ vero omnia cum Judæi despicerent, sub fordidiori habitu Christi delitescencia æterna & infinita *δυσήματα*, nobisque simul & ipsismet rebellibus *destinata* ingentia beneficia, quid mirum, si ferale isthac contemtionē, & petulanti tandem in extremis insultatione, excidium sibi suo quasi jugo attraxere & adhuc ea propter vapulent?

§. XX.

Extremum illud erit, ut, quæ dicta sunt breviter, uberiori considerationi aliorum commendantes, cunctos pie moneamus, ne, quæ exitialis Judæorum arrogantia ipsis peperit mala, suo quisquam supercilio, contemptus Christi in Gloria jam sine humilitate, (tametsi nondum c) ea omnino patefacta sit) regnantis, sibi hodieque accersat, eamque impietatem, si non ipsius Personæ servatoris O. M., quod Judæorum proprium fuit flagitium, insectatione fiat, (feri autem vix poterit nisi a blasphemis,) *Corporis* tamen ejus *mysticis*. e. Ecclesiæ, & membrorum singulorum, multis modis, ad exemplum capitis sui, in his terris laborantium, vel neglectu vel persecutione imitetur. Quod ut caveamus periculum plurimum certe indies caussæ oritur. Nam *es ist dies Stück* d) (*ich glaube eine heilige Christliche Kirche eben so wohl ein Articul des Glaubens,*  
als

a) *Luc. XXIV. 26. coll. Phil. II. 9.* b) *Conf. Gen. XLIX. 30. Ps. XLIV. 23. Hagg. II. 12. Es. XLII. 4.* c) *Vid. Ebr. II. 8. coll. X. 13.* d) *Verba sunt perspicacissimi Lutheri Præf. ad Apocalypf. §. penult.*

als die andern. Darum kan sie keine Vernunft, wann sie gleich alle Brillen aufsetzet, erkennen, der Teuffel kan sie wohl zudecken mit Aergernissen und Rotten, daß du dich müßest dran ergern. So kan sie Gott auch mit Gebrechen und allerley Mangel verbergen, daß du must darüber zum Narren werden und ein falsch Urtheil über sie fassen. Sie will nicht ersehen, sondern erglaubet seyn. Glaube aber ist von dem, des man nit siehet Hebr. XI, 1. Und sie singt mit ihrem Herren auch das Lied: Selig ist der sich nicht an mir argert Matth. XI, 6. Es ist auch ein Christ ihm selbst verborgen, daß er seine Heiligkeit und Tugend (conf. Col. III. 2. sq.) nicht siehet, sondern seine Untugend und Unheiligkeit siet er an sich. Unde sane quam facile fieri possit, ut in eundem prope lapidem, cum Judæis, impingamus, colligere licet. Quibus monitis piam etiam consolationem subijcimus, qua Ecclesiæ Christi & sanctis quibusvis constantibus in fide & obsequio certam in meliorem sortem καταστροφὴν pollicemur. Neque enim Sospitator potentissimus, ad injuriam conjunctissimorum amicorum, ut sibi quandam, ab hostibus illatam, juste vindicandam, minus sese præbebit vigilem, quam studiosum, ut, qui eadem, qua & ipse, humilitatis via ad gloriam gnaviter contendunt, summo illo honoris apice, peracto olim militiæ & miseriæ decursu, abunde potiantur & æternum fruuntur.

TENOITO.

D 2


CLA.

CLARISSIMO VIRO  
M. IOANNI CHRISTIANO POLCKE  
S. P. D.  
PRAESES.

**Q**uod bene animadvertunt moralis disciplina Doctores, non nisi unam esse Virtutem, eamque fixum studium actiones & officia varia divinae voluntati attemperandi definiunt, id vel Tuo exemplo, Vir Cl., edoctus ita esse intelligo. Ut pote qui eleganti connubio cum doctrina praeclara, modestiam eximiam, pietatem in Deum & solertem assiduitatem, integrumque bonae mentis ornamentorum chorum sic conjunxisti, ut optimis quibusque, qui Te norunt penitus, non placere non possis. Qua de causa, cum ad nos adventares, meam quoque Tibi amicitiam illico conciliasti, quam Tecum iniisse nunquam paenitebit. Quae in praesens edis specimina, Lipsiensibus compluribus antegressis subiecta, ad ea, testium loco, vera me scripsisse, provoco; ceterarum vero virtutum non minorem Tibi suppetere praestantiam, familiaris, spondeo, cunctos consuetudo Tecum culta addocebit. Quo nomine ergo cum Tibi potissimum, & Venerabili Domino Parenti, Amico meo singulariter suspicando, de Filio non degenerere, ex animo gratuler; tum vero illud candide polliceor, id me, dum vivam, operam daturum, ut quibuscunque modis possim, animum Tibi Ipsique devinctissimum nunquam non approbem. Quod reliquum est, Deum suppliciter rogo & obsecro, ut feliciter studia litterarum, in hunc usque diem a Te laudabiliter continuata, ad Ecclesiae diviniore commodam ubertim mox valere jubeat, sanctique Spiritus sui afflatu Te Tuosque optime gubernatos in alta luce tam in hac mortali vita collocet, quam aeterna, cum glorioso Servatore nostro indivulsa unione conjunctos, olim beet. Scrib.

Altorphi Noribergensium a. d. VIII. Kalend.  
Aprileis A. R. S. MDCCXX.

ad 28



ad 25







AB 154546

X 2311 881

12





r. 28.  
Q. D. B. V.

HVMILITAS GLORIOSA  
IESV CHRISTI  
IVDAEIS FERALIS

AD

*ESAIAE CAP. III. v. 8.*  
DISSERTATIONE CRITICO-EXEGETICA  
PRAESIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER

D. P. P. ET P.

*PATRONO ATQVE STUDIORVM SVORVM AMPLIFICATORE  
AETERNVM DEVENERANDO*

EXAMINI COMMILITONVM PLACIDO  
PROPOSITA

A

M. IOANNE CHRISTIANO POLCKE  
VRATISLAVIENSI.

VII. KALEND. APRIL. A. R. S. M. DCC. XX.

ALTORPHII

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

